

DISSERTATIO PHILOLOGICA  
DE  
CHRISTI RESPONSIONE  
QVOD DIXI DICO

IOH. VIII. 25.

QVAM

IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

PRAESIDE

VIRO EXCELLENTISSIMO

ANDREA GEORG WAEHNER

LINGV. OR. P. P. O.

D. 7. IAN. MDCCXLI.

H. L. Q. C.

PVBLCO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTET

AVCTOR RESPONDENS

IOANNES LVDOVICVS PACHT

SCHARNBECICA-LVNAEBVRG.  
PHILOS. ET THEOL. CVLT.

*N. J.*  
*in Johannem*  
*219.*

---

GOTTINGAE

TYPIS ABRAMI VANDENHOECK, ACAD. TYPOGR

Exeg.

C.

271,44

IN ACCADEMIA REGIA AVGVSTA  
PRAESIDI  
VIRI DOCTI ET ERVITI  
ANDREAS GEORG WAEHNER  
LXXV. O. R. N. O.  
M. D. C. C. C. L. V.

IN ACCADEMIA REGIA AVGVSTA  
PRAESIDI  
VIRI DOCTI ET ERVITI

ANDREAS GEORG WAEHNER  
LXXV. O. R. N. O.  
M. D. C. C. C. L. V.

IN ACCADEMIA REGIA AVGVSTA  
PRAESIDI  
VIRI DOCTI ET ERVITI

ANDREAS GEORG WAEHNER  
LXXV. O. R. N. O.  
M. D. C. C. C. L. V.

IN ACCADEMIA REGIA AVGVSTA  
PRAESIDI  
VIRI DOCTI ET ERVITI

ANDREAS GEORG WAEHNER  
LXXV. O. R. N. O.  
M. D. C. C. C. L. V.

VIRIS MAGNIFICIS  
GENEROSISSIMIS ILLUSTRIBVS AMPLISSIMIS  
REIPUBLICAE LVNAEBVRGICAE

CONSULIBVS  
SYNDICIS  
SENATORIBVS  
DOMINIS SVIS PATRONIS

AC

EVERGETIS GRATIOSISSIMIS

OMNI

VENERATIONIS OBSERVANTIAE AC PIETATIS

CVLTV

AD CINERES VSQVE

SVSPICIENDIS PROSEQVENDISQVE

LVC VBRATIONES HASCE QVALESCVNQVE  
STVDIORVM SVORVM SACRORVM  
PRIMITIAS  
TANQVAM AGRI AB IPSIS LARGITER IRRIGATI  
FRVCTVS  
ANIMI DEVOTISSIMI TESSERAM  
ET  
MENTIS ACCEPTA PIE RECOLENTIS PIGNVS  
DE NOVI ANNI FELICIBVS AVSPICIIS  
GRATVLAVNDVS  
ET  
OMNIMODAM A DEO BENEDICTIONEM  
PROSPERITATEMQUE VBERRIMAM  
APPRECATVS PIA MANV  
OFFERT DICAT  
ET  
SACRAS ESSE CVPIT

IOH. LVDOV. PACHT



§. I.

**Q**uod alias vsu plerumque venire quotidiana comprobari vides experientia, vt nihil aeque solemne habeant mortales, atque id, vt rerum a seipsis male gestarum in alios reiiciant culpam; id in sanctissima quoque vtriusque foederis monumenta eos liberius audere, sine horrore aliquo recordari non possumus. Quem fugit enim nonnullorum, & pontificiorum potissimum, iniqua censura, qua libros hosce sacros tenebrarum, nescimus quarum, & diuinos eorum scriptores, quod vel data opera obscuri esse nonnunquam voluerint, accusent? Equidem negare non sustinemus, multa intellectu difficilia in iis occurrere; in quibus vel ipsum locum Ioh. VIII. 25, ad quem commentari iam lubet, non vltimum habere locum, tot tantaque interpretum diuortia testantur. Verum enim vero nostrum ipsorum accusare debebamus torporem, qui, iusto saepe curiosiores in rebus leuioribus, negligentiores in

re tanti momenti, in scriptis diuinis inuestigandis, nos plerumque praebemus. Accedit proauorum nostrorum incuria, quae non paucis nos praesidiis, ad expeditius intelligenda veterum monumenta, non minus profana quam sacra, quam maxime necessariis, proh dolor priuauit. Tantum igitur abest, ut scriptores sacri vel vitiosae obscuritatis vel affectatae ambiguitatis iure infimulentur, ut potius de oculorum suorum, in ipsa meridiana luce parum videntium, vitio conquerantur viri, quibus de meliori luto finxit praecordia Titan.

§. II. A quo ancipiti periculo ut modo dictum Christi effatum expediamus, & simul pro virium modulo ostendamus, quinam interpretum pro luce ei affundenda viam sint ingressi expeditiorem; canones aliquot hermeneuticos, ea, quam persequi decreuimus, via gradum nostrum promoturos, praemittere, non abs re esse videatur.

§. III. Cum *eadem* voces singulae, in significato tam proprio, quam figurato, *rerum* saepissime sint *signa* quam maxime *diuersarum*; eademque verba, in constructione non solum diuersa, verum etiam eadem, longe diuersissimum fundere possint sensum: primo loco scrutandum est, quid voces & locutiones *significare possint*. Sed quoniam mentem auctoris deum assequitur is, qui cum verbis eadem iungit notiones, & cum enunciationibus eadem iudicia, quae auctor cum iisdem coniungi voluit; secundo dispiendum est, quid in loco enodando & singulae voces & earum constructarum complexus *significent*.

§. IV.

§. IV. Cognitam esse debere *linguam authenticam*, ne interpretum auctoritate abripiamur, sed dicentis scribentisque mentem ex suis ipsius verbis feliciter assequi valeamus, nemo nisi imperitissimus negare sustinebit. Quoniam autem eodem idiomate non tamen eodem modo ab omnibus enunciantur eadem; sed tanta dicendi scribendique est diuersitas, vt, pro scriptorum fere numero, dicendi rationis discrepantiam obseruemus; certissimum de obscurioribus ex clarioribus *eiusdem scriptoris* iudicium ferri, quilibet facile quoque largietur.

§. V. Quod cum semper fieri non possit; secundo loco prae ceteris consulendi sunt ii, qui *orationis genere non admodum dissimili* sunt vsi. Quare in exponendo difficiliore N. T. effato & ceteri sanctissimi huius libri scriptores & V. T. *Alexandrinus interpres* scriptoribus graecis exteris longe sunt praefereendi. (a)  
Adeo

(a) IOH. HENR. MICHAELIS Disp. de Textu N. T. graeco, Halae Magd. 1707. §. II. „*Novi Test. stilum multis in locis Hellenisticum esse & Versioni τῶν LXX. plane conuenientem, negare facile quatenus baud posse, arbitramur, qui illam versionem vel primis degustauerit labiis, aut mediocrem saltem Hebraeae linguae hauserit cognitionem.*“ Id quod locis compluribus ibidem egregie demonstrat; & §. 12. sententiam hanc contra Pfochenium defendit. Idem, Disp. de Vsu LXX. Interpr. in N. T. Halae 1709. §. II. „*Quum insuper in N. T. peculiare loquendi formulae occurrant, quarum sensus non semper tam commode ex indole Graecae quam Hebraicae linguae peti potest, hic quoque iuuabit conferre LXX. interpretum versionem.*“ Quod N. T. stylus sit Hellenisticus, non solum vere, verum etiam pie, statui, docet quoque CHRISTIANVS SCHOETTGENIVS, Hor. Ebr. & Talm. ed. Dresd. & Lips. 1733. p. 426. 428.

Adeo vt dubia quodammodo nobis esse non desinat explicatio, quae solis ex his allatis exemplis nititur.

§. VI. Cum graeci N. T. scriptores genere Ebraei fuerint; & ex scriptis eorum appareat, eos ebraeae linguae genio magis, quam Atticae, aduetos fuisse; cum in graecum denique sermonem ea saepissime tantummodo transfuderint, quae ebraice vel chaldaice erant dicta: (b) graecae linguae vel peritissimus in multis tamen se expedire nullo modo poterit, nisi & ebraeorum simul probe cognitum habeat sermonem. Quin iis accedere nulli dubitamus, qui plus lucis ex ebraeorum & Talmudicorum, quam profanorum graecorum scriptis, nouo foederi affundi posse contendunt. (c)

§. VII. Quodsi tamen melioris notae *exteris scriptores graecos & ebraeo-graecos* in locutione aliqua vel constructione, qua locus N. T. dubius illustrari possit, amice *conspirantes* deprehendamus; explicationem istam, ceteris paribus, (d) alii, quae ex his solis petita sit, si non praefendam, neque tamen postponendam censemus. Vtrisque

(b) Huius generis sunt omnes Christi sermones & cum Iudaeis disputationes. Nulli enim dubitamus, quin cum Iudaeis idiomate ipsis vernaculo, i. e. Hebraeo-Chaldaico, egerit. Vid. & Act. XXI. 40. XXII. 2.

(c) Vid. GVILIELM. SVRENHVS. Mischn. Tom. I. Praef. ad lect. pag. 3. Item CHRISTIAN. SCHOETTIG. Praefat. ad Hor. Hebr. & Talmud.

(d) Quodsi enim contextus vel dicentis scribentisue scopus explicationem aliam praeferre suaderent; scriptorum graecorum exterorum auctoritas nos quidem parum moueret.



trisque saltem hac ratione satisfiet; & illis, qui noui foederis scriptores linguae ebraicae genium, & his, qui atticam puritatem eos secutos esse existimant.

§. VIII. Quoniam *Syriacae* Maronitarum *tralatationis* auctores non solum orientales, verum etiam graecam, qualis in oriente erat, linguas habuere vernaculas; primus inter noui foederis monumentorum interpretes locus illis merito est assignandus.

§. IX. Proximus ab his locus *patribus*, quos appellare consueuimus, *graecis, ceterisque genere graecis, noui foederis interpretibus*, est dandus. Eo quidem ordine, vt eos praeferamus, qui & ebraice sciuerunt; qui pauci fuerunt: neque ceteros tamen, propter graecae orationis peritiam, omnino reiiciamus. Vtriusque autem linguae rudes interpretes (e) non nisi coecos coecorum esse duces, extra omnem positum est dubitationem.

§. X. Breuitatis in loquendo studium in omnibus fere linguis frequentissimas peperit *ellipses*. Ebraei pauca verbis, plura gestibus & vocis modulatione, eloqui consueuerunt. Graeca oratio licet ebraea multo copiosior sit; non minus tamen multa ab audiente vel legente supplenda reticet. Tantumque abest, vt id in vitiis sermonis reponamus; vt *ornate potius & eleganter* ita dici existimemus, (f) Non enim, quae nobis

(e) Qualis erat *AVGVSTINVS*; cuius Graecae linguae ignorantiam accusat *Erasmus*.

(f) Vid. *LAMBERTI* Bos Praefat. ad suas *Ellipses Graecas*. Necnon *CHRISTIAN. SCHOETTGENIVS* in Praefat. ad *CHRISTOPH.*

bis esse videantur, ebraeis quoque, graecis & latinis genere obscura fuerunt. Eorum igitur, quibus linguae istae vernaculae fuerunt, consuetudine haec omnia sunt iudicanda; non temere *linguarum nobis vernacularum* genio: licet magnam linguarum analogiam esse lubentes largiamur. Quae autem ab Ebraeis graeca lingua loquentibus reticentur, ea non minus confidenter ex ebraei quam graeci sermonis genio supplemus (§. 6.); confidentius, si & graecos profanos iisdem similibusue ellipsis nonnunquam vsos esse reperiamus. (§. 7.)

§. XI. Saepissime supprimuntur & elegantissime (1) *praepositiones* nonnullae; (2) *verbum substantiuum* ἐπι vel γινωμαι, *sum, fit*; (3) *vox, vel & complures voces, ex antecedentibus vel consequentibus*, in forma vel eadem vel diuersa, *repetendae*. Quorum quid desideretur, linguae perito non difficile intellectu est. Omittimus cetera. Non enim de ellipsis scribere iam volumus; sed ea tantummodo attingere, quae faciunt ad examinandas cum a ceteris tum a nobis in loco Iohanneo, quem explicandum nobis sumsimus, suppletas ellipses.

§. XII. Sunt ellipses nonnullae, quae circumspectionem maiorem requirunt. Quales sunt, si statuas, (1) non solum *verbum substantiuum*, verum etiam *nominatiuos*, quibuscum conueniat, (g) desiderari. (2) Deesse  
ver-

STOPH. THEODOS. WALTHERI Ellipses Ebr. ed. Dresdae & Lipsi. 1740. contra Wokenium.

(g) Sane in LAMBERTI BOS ellipsis verbi *ἔστιν* ne vnicum quidem comparet exemplum, vbi *Nominatiuus simul* supprimatur. Par ratio est ellipsis *verbi substantiui* apud GER. Io. Voss. Aristarch. lib. 7. cap. 19. pag. 390. seqq. Attamen id interdum fieri

*verbum quodcumque accusatiuum regens.* (3) *Supplendum esse integrum comma, vel integram propositionem.* In his a dicentis scribentisue mente quam facillime aberratur, & suppleri possunt, de quibus ille nequidem cogitauit. Omnis igitur hic temeritas absit; & simillimis exemplis deficientibus, nihil temere statuatur. Haec enim si afferri nequeant; non potest non suspecta esse talis ellipsis: multoque magis, si aliam viam ingredi liceat, vt vel vnico vocabulo inserto plena fiat oratio, commodusque sensus. Denique (4) *non reticeri censenda sunt vocabula, quorum praecipua in enunciatione est vis & emphasis.* Ea tantummodo supprimuntur, quae ex positis ἐμφατικωτέροις facile subintelliguntur.

§. XIII. *Pleonasmī sermonis naturae magis aduersantur, quam ellipses.* Dabimus tantisper, poni nonnunquam voculam aliquam, quae saluo sensu abesse possit. Attamen vocem abundare dici debere, cui commodus sensus tribui possit, audacter negamus, imo pernegamus.

§. XIV. *Formarum vna pro altera non raro ponitur.* Ab hominibus maxime Ebraeis; qui temporum diuersorum formis in sua lingua promiscue vti consueuerunt. A ceteris quoque *praesens loco vel praeteriti vel futuri.* Neutrum sine emphasi. Illud, ad indicandum actum iam dudum quidem *inchoatum*, adhuc tamen *infectum* & continuum. Hoc, pro *rei certitudine* significanda. Quoniam tamen in constructione cum aduerbio vel nomine

feri non omnino negamus. Rarius autem fit; nec factum id esse, temere est statuendum.

mine tempus praeteritum significante praesens loco praeteriti positum durius sonat, nisi pluribus ita loquentium vel scribentium exemplis aures locutioni isti sint adsuefactae; ad *enallagen* istam, nisi simillima exempla in promptu sint; (b) multoque magis, si commodius expedire nos alio modo possimus, temere confugi censemus.

§. XV. *Verborum ordo* in linguis latina, graeca & ebraica ita liber fuisse non videtur, ut vulgo existimatur; (i) licet bonos scriptores eundem semper ordinem scrupulose observasse contendere nolimus. Quin propter euphoniā, emphasim & similes causas, voces eleganter nonnunquam transponi observamus. Praeterea liberiore vocum traiectionem N. T. scriptoribus, (k) maxime ubi Ebraismum sapit, satis familiarem esse, negare non sustinemus, (§. 6.) Interim tamen explicatio-  
nem

(b) Minime autem exempla hic admittimus *diuersa lingua* loquentium; neque etiam eorum, qui, eodem quidem idiomate vti, non tamen ciues fuerunt, sed *diuerso stylo* adueti. Quales Iudaeorum intuitu fuerunt exteri graeci scriptores omnes. Non enim illud Terentii nos fugit: *Iam dudum animus est in patinis*; & similia multa.

(i) De latina lingua id se demonstratum daturum promisit vir clarissimus AUGUSTINVS GABRIEL GEHLIVS, Cellensis lycei Corrector meritissimus. Quem cum prae ceteris eo aurium iudicio pollere sciamus, ut vel maxime latine dicta vel scripta, si ordine Latinis genere familiari non proferantur, eas offendant, & quo magis eum seruent, mirum in modum demulceant; multisque iam abhinc annis canones de hac re praecipientes conscripsisse: ne nos utilissimum huncce laborem diutius desiderare patiatur, publice rogatum volumus.

(k) Vid. BALTHAS. STOLBERG I Exercitat. Graec. linguae ed. Witteb. 1685. Exercit. IV. in Ioh. VIII, 25, cap. 1. §. 11. 13. p. 259 - 262.

nem eam, quae traiectionem vocum nimis duram, omnisque emphaseos expertem sine exemplo supponit, ei, quae vocabulis in recepto ordine relictis rem expedit, merito postponimus. *Receptus* autem *ordo* nobis est is, in quo vel *ut plurimum* voces inueniri solent, vel in quo eas saltem *nonnumquam* legi *exemplis* extra dubitationis tesseram positis doceri potest.

§. XVI. Minime quidem statuimus, *proprium verborum significatum* figurato vsque eo esse praeferendum, ut pro illo tuendo vim verbis inferre debeamus. At tamen iusto longius progredi existimamus eos, qui vocabulo in N. T. obiuo vel ex Iudaeorum Cabbala vel ex paraphrase Chaldaico Hierosolymitano, qui iustum interpretem non egit, significatum temere affingere non erubescunt.

§. XVII. Reiiicimus interpretationem, quae *sensum* verbis tribuit, qui illis *inesse omnino non potest*. Neque minus eam, quae *plana facit obscura*; vel etiam *obscura obscuriora*. Suspectam habemus eam, quae *obtorto collo trahit verba*, quo trahi per linguae genium vix possunt. Ceteris omnibus praeferimus eam, quae loquentem vel scribentem *obscuritatis quam minime reum facit*; & nihil habet, quod *idiomatis*, quo ille est usus, *genio aduersetur*.

§. XVIII. *Signa distinctionis*, commatum, colorum, punctorum, hypodiasoles, & aliorum, *recentiora* esse, viri eruditi vnanimi fere consensu affirmant. (1)

Quare

(1) Vid. CROII obseru. Sac. & histor. in Nou. foed. cap. 2. p. 6. citante Stolberg. Exercit. p. 262, 263. GEORG. RAPHEL. Annot. in Sac. Script. ex Herodoto, ed. Lueb. 1731. pag. 296.

Quare parum nos mouent argumenta ab istiusmodi signis, in hoc vel illo, paucioribus vel pluribus codicibus, obuiis petita.

§. XIX. Contra ea criticorum damnamus audaciam, qui ad *mutanda textus verba* iusto sunt procliuiiores. Id quod in sacris monumentis non facile cuiquam concedimus; bene memores, *non raro* his artibus ea, quae *recte se habent*, corrumpi verius, quam emendari. Quare masoretharum laudamus modestiam, qui, textu relicto, qualis erat, suas tantummodo adscripserunt annotationes.

§. XX. Sufficiant haec de iis, quorum beneficio, quid effati propositi verba significare possint, inuestigare valemus. Quid vero significant, vt intelligamus: (1) non solum *loquentis*, verum etiam *audientium personas* contueri & pectora inspicere oportet. (2) *Quo* quid *consilio* fit dictum, cui datum sit penetrare; ei, quae obscurissima videbantur, clara euadent. (3) Instar ducis fidelis, ne a via regia declinet, interpreti esse debet *contextus & connexio*. Ad *antecedentia* retrospiciat; neque negli-

297. Quare de codicibus, qui haec signa vel habeant vel non habeant, praeter necessitatem sollicitus est IOH. REINHARD RVS, Harmon. Euangelist. Tom. II. p. 443. ed. Ien. 1728. Argumento admodum debili pugnat. Io. GEORG. DORSCHERVS, Comment. in 4. Euangelistas pag. 1068. ed. Hamburg. 1706. scribens: „*Nos respondemus, interrogationem non habere locum, quia signum interrogationis in codicibus probatis deest.*“ At vero ex recentioribus hisce signis iudicium ferri nequit, quomodo ipse dicens vel scribens verba sua intelligi voluerit: Sed tantummodo, quomodo is, qui signa adiecit, verba intellexerit. Vnde est, vt in diuersis codicibus diuersa haec signa sint.

negligat *consequentia*. Non autem nisi ea diximus, quorum quam maxime memores esse debemus; si genuinum verborum Christi: ΤΗΝ ΑΡΧΗΝ ΟΤΙ ΚΑΙ ΛΑΛΩ ΥΜΙΝ, sensum eruere cupiamus.

§. XXI. Quot verba locus a nobis excutiendus habet, tot haud levis momenti emergunt difficultates. Vel in primo enim limine haerentibus statim sese offert *accusatiuus τὴν ἀρχὴν nude positus*; nisi forte per verbum λαλεῖν eum regi putes. Iam *accusatiuum* vel *a verbo regi*, vel *a praepositione*, ita est notum, ut id monere superuacaneum sit. Quorum cum *neutrum expressum* sit, non potest non *elliptica esse oratio*. (§. 10.) Pro qua supplenda vel ex antecedentibus vel consequentibus, verbum quod accusatiuum hunc regat, repetendum esse videri possit. (§. 11.) At vero nullum ibi comparet, quod huc trahere possis. Verbum autem quodcunque inferere velle, ut plena fiat oratio, temeritate non caret. (§. 12.) Nihil igitur reliquum est, nisi ut *praepositionem reticere* statuamus. (§. 11.) Quam deesse, & quidem praepositionem κατὰ, interpretes meliores vno ore affirmant. (m) Nam τὴν ἀρχὴν pro κατὰ τὴν ἀρχὴν non raro poni

(m) Vix condonare possumus celebri quondam in Jenensium academia orientis philologiae professori IOH. REINHARDO RVSIO, quod de loci, in cuius sensum inquirimus, verbis τὴν ἀρχὴν, in Harmoniae Euang. vol. II. pag. 442. ed. Ien. sequentem in modum scribit: „Nemo inficias iuerit, si adferri possit explicatio, quae nec praepositionem κατὰ supplere necessum habeat, - - illa dubio procul ceteris utique sit praesferenda. „ At nos id omnino inficias imus. Graecis enim familiarius erat, τὴν ἀρχὴν sine addita praepositione dicere, quam cum ea plene κατὰ τὴν ἀρχὴν. Quemadmodum insolentius erat latinis dicere: ab Roma venire, quam omissa praepositione: Ro-

Ro.

ni recte obseruarunt. Horum autem verborum cum duplex potissimum significatus sit, vter eorum sit praefendus, dispiciamus.

§. XXII. ἌΡΧΗΝ seu cum addito articulo, ΤΗΝ ἌΡΧΗΝ, significat idem, quod ἀπλῶς, πατελῶς, ὅλως, *prorsus, omnino, profecto, certissime.* Recte enim Cl. Christianus Schoettgenius: (n) „ Ἄρχη „ inquit, *notat imperium, principium, fundamentum: ac „ proinde omne id, quod in aliqua re est praecipuum. Sup- „ pleta ergo ellipsi, κατὰ τὴν ἀρχὴν notat, quod ad hoc at- „ tinet, quod in tota re est primum, h. e. plane, omnino.* „ Haec ille. Pro hoc significato allegari solet illud HERODOTI (o): ἌΡΧΗΝ δὲ ἔγωγε οὐδὲ ἐνδέχομαι τὸν λόγον. Quod vulgo redditur: *sed ego PRORSVS his verbis fidem non habeo.* Si vero sequentia spectemus, reddendum potius videatur: *PRIMO quidem relationi huic fidem non habeo.* Quia mox subiicitur: εἰ δ' ἄρα τι τοιοῦτο ποιέουσιν. *Quodsi tamen eiusmodi quid faciant.* Rectius fortasse pro- uocetur ad istud HERODOTI: (p) οὐκ ἐχειρώθησαν ἌΡΧΗΝ ὑπὸ Μεγαβάζου. *OMNINO non subacti sunt a Megabazo.* Idem (q) cum articulo: τοῦτο δὲ οὐκ ἐνδέχομαι ΤΗΝ ἌΡΧΗΝ. *Hoc vero PRORSVS non admitto.* Qui  
plura

*Roma venire.* Licet illud interdum quoque legatur. Vid. Gerardi Io. Vossii Aristarch. ed. Amst. 1662. lib. 7. c. 46. p. 494. 495. Id quod propterea monitu necessarium duximus, *ne canonibus hermeneuticis vel apud artis peritos obui- is sine praeuio examine coeca fides habeatur.* [§. 10.]

(n) In Additionibus ad Lamb. Bos Ellips. graec. edit. quartae Lipsf. 1728. pag. 379.

(o) Lib. v. p. 327. lin. 11. seqq. edit. Iac. Gronouii, Lugd. Bat. 1715. fol.

(p) Lib. v. p. 291. lin. 22.

(q) Lib. 1v, p. 230. lin. 31.



plura pro hoc significato loca videre cupit, STOLBERGIVM (r) & b. RAPHELIVM (s) adeat. Non desunt igitur, qui in Iohanneo loco nostro enodando haec verba ita exposuerunt. E veteribus agmen ducit CHRYSOSTOMVS. (t) Ex recentioribus nominasse sufficiat GLASSIVM, (u) STOLBERGIVM, (w) HOTTINGERVUM, (x) HERMANNVM v. D. HARDT, (y) RAPHELIVM, (z) SCHOETTGENIVM. (a) At vero pace eruditissimorum virorum dicere liceat, nos dubitare, & merito quidem dubitare, de isto horum verborum apud Iohannem significato, quamdiu loca his consona in N. T. & Alexandrino interprete reperiri non est demonstratum. (§. 5.) HOTTINGERVS (b) quidem & SCHOETTGENIVS (c) Ebraeos similiter loqui contendunt, vt vocem לבתחלה vel מתחלה pro omnino vsurpent. Id quod sententiam hanc omnino ornaret (§. 6.), dummodo exemplis nimis recentibus & dubiis istam suam observationem non confirmassent.

## §. XXIII.

- (r) Exercit. Graec. lingu. cap. 1. §. 10. p. 258. 259. cap. 3. §. 6. pag. 277. 278.
- (s) Annot. ex Herodoto, pag. 293-296.
- [t] Homil. III in Euangel. Iohann. Explanat. in N. T. Tom. II. pag. 334. ed. Francof. ad Moen. 1697.
- (u) Philolog. Sacr. lib. III. Tract. v. Can. XVII. pag. 718. 719. ed. tert. Francof. & Hamb. 1653.
- [w] Loc. lit. r. cit.
- [x] Vid. Wolf. Cur. p. 890.
- [y] Peculiari quadam Commentatiuncula vernacula de quaestione: *Wer bist du?* in 8. edita: Quam quidem videre nobis non contigit. Excitant eam Io. Christoph. Wolf. Cur. Philolog. & Crit. in IV. Euang. & Act. Apost. p. 890. & Georg. Raphael. Annot. ex Herodoto p. 302.
- [z] Loc. lit. s. cit.
- [a] Loc. lit. n. cit.
- [b] Vid. Wolfii Cur. Philolog. & Crit. in Euang. pag. 890.
- [c] Hor. Hebr. & Talm. ad h. l. pag. 369.

§. XXIII. Extra dubitationem positum est, quod ἀρχὴ significet *principium* vel *initium*. (d) Hinc ἀρχὴν seu τὴν ἀρχὴν idem etiam aduerbialiter valet, quod ἐξ ἀρχῆς, seu ἀπ' ἀρχῆς, *initio*, *in principio*, *olim*, *quondam*, *antea*, *primo*, *primum*. Qua quidem in re diuortium a nobis facere videtur Cl. SCHOETTGENIVS, (e) ad perpetuum graecorum vsum, qui his verbis pro *prorsus*, *omnino*, duntaxat vtantur, prouocans. Verum enim vero sequentia scriptorum graecorum loca, contrarium satis commonstrabunt; in quibus accusatiuum ἀρχὴν vel ἀρχὰς in isto significatu, modo sine, modo cum articulo positum, legimus. Praemittere lubet loca, in quibus plena est oratio, particula κατὰ non deficiente. Ita HERODOTVS: (f) τὸν ΚΑΤ' ἈΡΧΑΣ ἡία λέξων λόγον. *Quem in principio institueram sermone.* Idem: (g) ὁ τόνυν περίανδρος ΚΑΤ' ἈΡΧΑΣ μὲν ἦν ἡπιώτερος τοῦ πατρός. *Periander igitur initio quidem mitior erat patre.* Sine praepositione HERODOTVS: (h) Ἐγεγόνεσαι ἐξ Ἐρετρίης ΤΗΝ ἈΡΧΗΝ. *Ex Eretria*

PRI-

[d] Vid. Herodot. lib. v. pag. 317. lin. 37. 38. It. pag. 324. lin. 5.  
 [e] Addit. ad Lamb. Bos Ellips. graec. p. 380. Recte IACOB. ELSNERVS Obseruat. Sacr. in N. T. p. 320: *In qua significatione [omnino] saepius erratum est ab interpretibus, non eo solum, quod ignorasse eandem videantur, vid. Perizon. ad Aelian lib. 3. 14. & Gronou. ad Lucian. Tom. I. pag. 1010. & adde Heliodor. lib. 4. p. 80. ubi bis τὴν ἀρχὴν male red- ditur initio. Sed etiam, quot, postquam eandem nouerant, ubique omnino verti debere existimarent. Sic in nouissima Gronouii editione Herodoti, ἀρχὴν vertitur omnino lib. I. c. 86. p. 35. ἕως ἦλθε ἀρχὴν ὁ Σόλων, cum verti deberet: Venisse olim Solonem. Eodem modo peccatur c. 140. p. 58. & c. 203. p. 82. &c. ubi ab initio verti debet, ut patet clarissime.*

[f] Lib. v. p. 307. lin. 39.  
 [g] Lib. v. p. 321. lin. 15. 16.  
 [h] Lib. v. p. 306. lin. 24.

PRIMAM habuerunt originem. Sequatur ARRIANVS: (i) Δαρείος δὲ καὶ ὁ ξὺν Δαρείῳ στρατὸς, οὕτως ὅπως ΤΗΝ ΑΡΧΗΝ ἐτάξαντο, ἔμειναν τῆς νυκτὸς ξυντεταγμένοι. *Darius vero, eiusque exercitus, quemadmodum INITIO aciem instruxerant, ita totam noctem steterunt.* Subiungimus HERODIANVM: (k) Θαυμάζειν ἐστὶ καὶ τὴν τέχνην τῶν ΤΗΝ ΑΡΧΗΝ κατασκευασάντων, καὶ τὴν ἀκμὴν τῶν ὙΣΤΕΡΟΝ καθηρηκότων. *Mireris utique & eorum artificium, qui PRIMI exstruxerunt, & horum vires, qui DEINCEPS sunt demoliti.* Eodem tendunt Isocratis verba: (l) Ὡστε μηκέτι Φοίνικας Σαλαμινίων τυραννεῖν, ἀλλ' ὧν περ ἦν ΤΗΝ ΑΡΧΗΝ, τούτους ΚΑΙ ΝΥΝ ἔχειν τὴν βασιλείαν. *Vt non amplius Phoenices Salaminiis imperent; Sed, quorum fuerat ANTEA, hi IAM QUOQUE teneant imperium.* Idem: (m) καὶ δέδοικα, μὴ τισι δόξω περὶ Ἰούλων μᾶλλον σπευδάζειν, ἢ περὶ ἡς ΤΗΝ ΑΡΧΗΝ ὑπεθέμην. *Metuo, ne quibus de hoc magis laborare videar, quam de ea, de qua dicere INITIO proposueram.* Idem: (n) καὶ γὰρ ΤΗΝ ΑΡΧΗΝ οἱ τὸν φόβον ἡμῶν ἐργασάμενοι Ἰούλων, αἴτιοι γεγονάσι Ἰού μὴ παντάπασι θηριωδῶς διακέϊσθαι πρὸς ἀλλήλους. *Nam qui AB INITIO hunc nobis timorem iniecerunt, in causa fuerunt, ut ne inter nos plane bestiarum more viueremus.* In forma plurali POLYBIVS: (o) ΤΑΣ μὲν οὖν ΑΡΧΑΣ ἀναριθμήτων περιελασάμενοι λείας πλῆθος

[i] De Expedit. Alexandri, lib. 3, 11: init. pag. 118. ed. Iac. Gronou, Lugd. Batau. 1704.

[k] Histor. Lib. III. cap. 1. fin. pag. 121. ed. Io. H. Boecleri, Argent. 1644.

[l] Nicocles, col. 45. lin. 24-27. ed. Bas. Oporin, 1570. fol.

[m] Laudat. Helenae col. 310. lin. 27-29.

[n] Laudat. Bufiridis, col. 332. lin. 14-17.

[o] Histor. lib. 1x. p. 545. lin. 43. seqq. ed. Wechel. 165. 9 fol.

θος ἠθροισαν εἰς τὴν παρεμβολήν. -- ΜΕΤΑ Δὲ ΤΑΥΤΑ κ.  
 γ. λ. INITIO quidem infinitam abigentes praedam, in ca-  
 stris congesserunt. -- ΑΤ ΜΟΧ &c. Nec Alexandrini  
 hic deest auctoritas, qui ebraeorum תַּוּשַׁבַּת semel  
 (p) & תַּוּשַׁבַּת quater (q) per τὴν ἀρχὴν reddidit. Hic  
 igitur purioris graecitatis scriptorum & Alexandrini de  
 hoc significato consensus nos mouere deberet, si ac-  
 cusatiui τὴν ἀρχὴν per contextum aequae commoda  
 in utroque significato interpretatio locum ha-  
 bere posset, ut hanc tamen praefereamus. (§. 5. 7.)  
 Accedit, quod de hoc, quem nos defensuri sumus si-  
 gnificatum, NONNVS PANOPOLITANVS (r) quoque con-  
 sentiens, τὴν ἀρχὴν per ἐξ ἀρχῆς, ab initio, antea, reddi-  
 dit. (§. 9.) Cui BEZA, (s) NOLDIVS, (t) CALIXTVS,  
 (u) I. H. MAIVS FIL., (w) ceteri, subscripsere.

§. XXIV. Sic lite, quae circa voculas τὴν ἀρχὴν  
 mouetur, scopo nostro conuenienter discussa, pede  
 iam inoffenso pergimus ad vocem subsequentem ΟΤΙ,  
 de qua non minus mota dubia sunt, utrum *coniunctio-*  
*nibus* an *prouocabulis* accensenda veniat. Qui priori ro-  
 bur conciliare allaborant sententiae, ii argumentum  
 petunt primo ex codicibus antiquis, in quibus non ὅ,  
 ἡ, sed ὅτι, legatur. Dein ad interpretum graecorum  
 auctoritatem sese recipiunt. In diuersa autem abeunt,  
 qui ita sentiunt; nonnullis particulam hanc prorsus

vaca-

[p] Gen. xiiii. 4.

[q] Gen. xli, 21. xliiii, 18. 20. Dan. viii. 1

[r] In Metaphrasi Euangel. Iohannis.

[s] Vid. N. T. cum eius interpretatione & annotationibus, pag. 398.  
 399. ed. Henr. Stephani, 1565.

[t] Concordant. Partic. Hebr. Annot. 1350. pag. 997. ed. Hafn. 1679.

[u] Concord. Euangel. pag. 252. 253. ed. Helmst. 1663.

[w] Obseruat. sacr. Lib. 1. in Ioh. viii. 25. p. 88 90. ed. Francof.  
 ad Moen. 1732.

*vacare* existimantibus, ceteris *significatum ei tribuentibus*.  
 Ex illorum numero est IAC. ELSNERVS. (x) At vero  
 eam non nisi ab initio sententiae positam *vacare* so-  
 lere, bene monet b. RAPHELIVS; (y) & pleonasmii in-  
 soliti eo magis suspecti nobis sunt habendi, quod om-  
 nes pleonasmii sermonis naturae aduersantur, (§. 13.)  
 Coniunctionem autem hanc *sane* significare, putat  
 NOLDIVS. (z) Pro *quia* accipit RAPHELIVS. (a) Qui  
 ὅτι, τὴν prouocabulum esse contendunt, & ipsi ad codi-  
 ces prouocant. Ita statuunt BEZA, (b) MAIVS, (c)  
 SCHOETTGENIVS. (d) Et horum quidem sententiam nos  
 subscribimus. Nihil vero ad nos, vtrum plures, an  
 pauciores, an prorsus nulli codices hypodiasstolen ha-  
 beant. (§. 18.) Pronomen nobis est ὅτι, quia sic  
 commodior prodit sensus. (§. 17.) *In principio* quoque  
 poni debuisset ὅτι, si *coniunctio* esset. *Prouocabulum* au-  
 tem *eum*, quem occupat, *occupare potest locum*. Ex-  
 emplis enim a se allatis parum probauit celeb. IOH.  
 REINHARDVS RVS, (e) quod *coniunctio* ὅτι, *quod, quia,*  
 com-

[x] Obseruat. Sacr. in Noui foederis, libros, ad h. l. Tom. 1, p. 320. ed.  
 Traiect. ad Rhen. 1720.

[y] Annot. ex Herod. pag. 301. 302.

[z] Loc. §. 23. lit. t, cit.

[a] Annotat. ex Herod. p. 302

[b] Loc. §. 23. lit. s. cit.

[c] Loc. §. 23. lit. w. cit.

[d] Hor. Ebr. & Talmud. ad h. l. p. 369. ed. Dresdae & Lips. 1733.

[e] Harmon. Euangelist. Tom. II. p. 443 Locus sane Rom. III. 2.  
 huc trahi omnino non debebat. De loco Ioh. VIII. 45.  
 non admodum repugnemus. Credi tamen possit, verba ἰγώ  
 ἔγωγε, vti saepe Hebraeorum וָאֲנִי, ibi cum sequentibus construi  
 non debere, sed reddi: *Ad me autem quod attinet*. Non stre-  
 nue negamus, coniunctionem ὅτι nonnunquam postponi  
 insolentiorum autem hanc constructionem esse, contendimus

commatis medium occupare possit. Quemadmodum vero Latini prouocabulum, *qui, quae, quod, ante nomen*, ad quod referendum est, & in medio commatis *elegant* ponunt; ita eodem ordine graecorum ὅς, ἡ, ὅ, vt exteros taceamus, a noui foederis scriptoribus ipsoque Iohanne Euangelista nonnunquam (*f*) est locatum. (§. 15.)

§. XXV. Ad particulam ΚΑΙ paucis perlustrandam ordine ducimur. Sunt, qui & hanc abundare statuunt; ex quibus BEZAM (*g*) & Clar. SCHOETTGENIUM (*h*) nominasse sufficiat. Contra ea RAPHELIUS (*i*) monuit, hanc particulam non penitus esse negligendam, sed vi augendi pollere. LVDOVICVS DE DIEV (*k*) ΚΝΑΤCHBVLL (*l*) ceteri καὶ hoc loco per, *etiam*; NOLDIUS (*m*) per, *iam ante*, exponi oportere contendunt. Illi satis bene. Noldius vero cum praesens λαλῶ loco praeteriti positum esse statuat, non attendit, quam durum sonet, si cum particula, praeteritum tempus significante, verbum in forma praesenti coniungatur. (§. 14.) Obseruari velimus, ἰ Ebraeorum non raro

[*f*] Ante nomen, ad quod referendum est, comparet Act. xvii. 23. ὃν ἔν ἀγνοῦντες εὐσεβεῖτε, τῆτον ἐγὼ καταγγέλλω ὑμῖν [τὸν θεόν.] In medio commate positum cit Ioh. iv. 18. καὶ νῦν ὃν ἔχεις, ἐκ ἔστι σε ἀνὴρ. 1 Ioh. II. 24. Ὑμεῖς οὖν ἂν ἠκούσατε ἀπ' ἀρχῆς, ἐν ὑμῖν μενέτω,

(*g*) loc. §. 23. lit. 5. cit.

(*h*) Addit. ad Lamb. Bos Ellips. Gr. p. 380. 381. & Hor. Hebr. & Talm. p. 369.

(*i*) Annot. ex Herod. p. 302.

(*k*) Animaduers. in h. l. citante Stolberg. Exercit. p. 263.

(*l*) Animaduersion. in libros N. T. paradox. orthodox. p. 61. 62. ed. Lond. 1659.

(*m*) Concord. Partic. p. 278. Conf. Annot. 1350. p. 997.

raro denotare, *etiamnum, iterum.* (n) Quid igitur ob-  
stet, quo minus idem particulae καὶ, τῶν Ἑβραίων  
respondenti, hoc loco attribui possit significatus?  
(§. 6.)

§. XXVI. Vocum singularum significatus rima-  
turi ad verbum λαλέω iam deferimur. λαλεῖν proprie si-  
gnificat, *loqui.* Id quod nonnullos mouit, vt interpre-  
tationem tolerare nollent, in qua λαλεῖν idem quod  
λέγειν, *dicere,* valeret. Salua autem res est. Quem-  
admodum Hebraei suis דבר, *loqui,* & דבר, *dicere,* pro-  
miscue vtuntur; ita Ebraeo-Graeci verbis λαλεῖν &  
λέγειν. Euolue Alexandrinum interpretem; & non  
deerunt loca, vbi verbum Ebr. דבר per λαλεῖν, cui ali-  
as דבר proprie respondet, redditum legas. (o) Neque  
minus noui foederis scriptores verbum λαλεῖν saepe ha-  
bent, (p) vbi ἴσως λέγειν aequiualeat, per *dicere* rectius  
quam per *loqui* reddendum. Horum autem auctoritas  
vtramque hic facit paginam. (§. 5.) Quare is verbo  
tribuendus erit significatus, qui sensum commo-  
diorem. (§. 17.) Hunc *dicendi* significatum esse, paulo  
post videbimus. Hoc autem dubium tanti non est.

§. XXVII. Denique praesens λαλέω loco praeteriti  
positum esse, sunt, qui statuunt. In quorum numero  
sunt CALIXTVS, (q) IOH. HENR. MAIVS, (r) MAR-  
TIA-

(n) Ibid. p. 285.

(o) Ex. gr. Exod. XXXI. 12. 2. Chron. X. 10.

(p) Ex gr. Luc. I. 45. II, 17. 18. XXIV. 6. Ioh. VI. 63. VII. 26. 40.  
X. 6. XV. 11. Act. VII. 44. X. 6. XI. 14. XXI. 10. Rom. III.  
19. &c.

(q) loc. §. 23. lit. u. cit.

(r) loc. §. 23. lit. w. cit.

TIANAEVVS, (s) ELSNERVS, (t) SAVBERTVS, (u) NOLDIVS. (w) Sed quae in horum nos castra transire compellat, nulla subest ratio. Quid? si formae praesentis significatu praesenti relicto, commodissimum tamen verborum sensum prodire, docere possimus; annon haec praefenda videbitur expositio? Et multo quidem magis, si sic nulla vel abundet (§. 13.) vel extra receptum ordinem posita dicenda sit vocula. (§. 15.) Quoniam vel alterutrum vel vtrumque concedere coguntur, qui Jesum de praeterito tempore forma praesenti locutum esse contendunt. Omnium minime largiri id possumus iis, qui ἡν ἀρχῆν vel καὶ per *antea* explicant. (§. 14.) Esto igitur praesens, si praesens esse possit.

§. XXVIII. Expeditis iis, quae circa singulas voces earumque formas erant expedienda; ad alterum iam dissertationis nostrae accedimus momentum, in id inquisituri, quomodo verba sua intelligi voluerit Christus. (§. 3.) Quod ut rite fiat, *colloquentes personas* cominus intuebimur, & totius *colloquii summam* ex ipsorum ore percipiemus. (§. 20.) *Personae*, quae in loco nostro Johanneo sermonem inter sese conserunt, sunt *Christus* & nonnulli ex *Judaeorum proceribus*. Ille *doctor* ex doctrinae puritate & vitae sanctitate prorsus *incomparabilis*; multis iam seculis a *Judaeorum* gente anxie expectatus *Messias*; non quidem, qualem illi optabant, sed multo nobilior; *homo*, sed & idem *Deus* concelebrandus in secula! singulis hisce in veteris foederis monu-

mentis,

- (s) Essay de Traduction, ou Remarques sur les versions Françoises du N. T. pag. 287, ed. Paris. 1710. in 4. citante Wolfio Cur. pag. 890.  
 (t) loc. §. 24. lit. x. cit. p. 319.  
 (u) Oper. posthum. ad h. l. pag. 31 - 33, ed. Altdorf, 1694.  
 (w) loc. §. 3. lit. t. cit.



mentis, quibus fidem denegare apud Judaeos capitale erat, iam nobilitatus criteriis. Incredibile videatur homini Christiano, quod latere potuerit Judaeos, quocum res sibi esset, tot tantorumque, ad prophetarum effata, ad ipsius doctrinae & morum sanctitatem, miraculorum ab ipso editorum pondere accedente. Et tamen id *non agnouerunt*; paucissimis suorum eum recipientibus. Non enim nisi *perpauci* eximium eum *prophetam* esse intelligebant; (x) *pauciores*, *Messiam*. (y) De *diuinitate* nequidem cogitabant. *Plerique*, quid de eo sentiendum esset, *ambigebant*. (z) *Multi damnabant*, & implacabili odio persequebantur. (a) Ita comparatum erat. Quod non est, cur tantopere miremur. Quid enim non possunt erroneae, quas semel imbibimus, opiniones? Quid male sanum studium ad eas vel aperitissima sacrorum monumentorum effata detorquendi? Quid peccatorum illecebrae, & huius seculi voluptatum, quarum dulcedine se irretiri mortalium animi patiuntur, appetentia? Quid falsa persuasio, summo Numini hypocrisi, ore, vultu, gestibus, ritibus, fieri posse fatis? Quid, praesertim apud eruditos, errare noluisse? Quid denique, si spem, quam conceperas omnium exoptatissimam, decollare videas? Hi lacrymarum illarum erant fontes, Messiam volebant Judaei, qui potentissimus monarcha a Romanorum iugo se liberaret. Talis cum Jesus esse nollet, placere ipsis non poterat. Messiam, qui potens rex esset, animo sibi semel finxerant. Ita prophetarum effata diu erant interpretati

(x) Ioh. VII, 12.

(y) v. 31.

(z) Ibid. v. 25 - 27.

(a) Ibid. v. 12.

pretati. Animus eorum extranei iugi impatientissimus, & bonorum huius seculi appetentissimus, non poterat non optare talem Messiam, qualem sperabant. Quid igitur supererat Christi humilitati, nisi ut contemneretur? Cumque nihilominus se, qui erat, Messiam esse contenderet; non poterat non exacerbare eorum animos, qui spem monarchae, Romanorum victoris, per eum sibi eripi dolerent. Paucissimis quoque sapiebat doctrina eius de virtutum studio; qui ritibus omnem cultum absolui confidebant. Hanc peruersam doctrinam pharisaicamque hypocrisin data omni occasione falsissime perstringebat optimus seruator. Hoc sine vero doctorum Judaicorum fastum tolerare potuisse concipere queamus? Christi eorumque doctrina e diametro sibi erat opposita. Ut pessimum igitur eum haereticum persequerentur. Verba eius captabant; cum rationibus nequirent, calumniis eum oppugnabant; nihil aegrius ferentes, quam quod plebi paucisque honoratiorum imperfectam illam, quam de ipsius sanctitate acceperant persuasionem, eximere non valerent. Cum his *acer-*  
*rimis suis inimicis & infestissimis persecutoribus, iisdemque sum-*  
*mi tribunalis assessoribus, fastu intolerabili se despicientibus,* disputabat *Christus*, verba pronuncians, de quorum sensu inquirimus.

§. XXIX. Personas lustrauimus. Videamus iam rem ipsam, ex *antecedentibus* paulo altius repetendam. Iesus ad tabernaculorum festum Hierosolymam profectus, templumque ingressus, praesenti turbae salutarem doctrinam propinat. (b) De qua non omnes eadem ferunt iudicia. Sunt tamen, qui veram agnoscentes, fidem ei adhibent. (c) Quod indigne ferentes Judaeorum pro-

ceres,

(b) Ioh. V. II, 2 - 14.

(c) V. 15 - 31.

ceres, ministros, ad ipsi manus violentas iniiciendas mittunt. Qui & doctrinae sanctitate & turbae, ei applaudentis, timore ab incepto deterriti, ad mittentes, re infecta, reuersi, vehementer obiurgantur. Ministrisque credulitatem exprobrantes strenui hi Judaeorum disputatores, argumento ab auctoritate ducto, vtuntur, quod non nisi imperita plebs ipsius doctrinae fidem habeat, doctioribus istam repudiantibus. [d] Non firmioribus talis nititur, quod Nicodemo, verba pro Christo facienti, opponunt; quod, qui Galilaeus sit, propheta esse nequeat Jesus. [e] Eum vero se esse, die sequenti demonstrat, adducentibus ad se in flagranti deprehensam adulteram exprobrans, quod ipsorum nemo melior hac adultera sit. Quod eum vere dixisse, testantur ipsi, pudore suffusi sese proripientes. [f] Ille vero ad docendum reuersurus, nulla vanae gloriolae cupiditate ductus, sed contra aduersariorum, qui doctrinam suam damnauerant, calumnias se muniturus, exclamat: *se esse lucem mundi*, id est, *Messiam*, & *veritatis praeconem*. (g) Tum inimici, iusto magnificentius de se ipso sentienti & testimonium perhibenti, fidem habendam esse negant. Neminem enim suarum ipsius laudum praeconem esse debere. (h) Respondet Jesus: cum nesciant, quis ipse sit, suaque humilitate offendantur, opus esse, vt libere id profiteatur. Neque esse, cur suum ipsius de se testimonium damnent. Ipsum sane Deum,

(d) v. 32 - 49.

(e) v. 50 - 53.

(f) Joh VIII, 1 11.

(g) v. 12. conf. Es. XLIX, 6.

(h) v. 13.

um, compluribus sacrorum monumentorum effatis, testimonium de se perhibuisse. Haec autem eos, veritati repugnantes, non magis intelligere, quam salutarem suam doctrinam admittere. Eamque ipsorum incredulitatem supplicium sibi quidem esse acceleraturam. Caveant autem. Propter enim has sibi inferendas iniurias, & quod se Messiam recipere recusent, malos male esse perituros. (i) Quas Christi minas cachinno excipientes aduersarii: *Tu ne vero*, inquit, *tantus vir sis, propter quem tanta nos maneat vindicta!* Ad has sannas Christus: *την αρχην οτι και λαλω υμιν.* (k) Subiungit, pharisaicarum de Messia persuasionum infirmum fundamentum futilemque eorum doctrinam, si velit, subuerti facillimo negotio a se posse. Sufficere autem ad demonstrandum, quod ipse Messias sit, quae pro se pugnent sacrorum monumentorum effata; de quorum veritate, licet ea non intelligant, ipsi non dubitent. Suaeque doctrinae cum his consonantiam de sua veracitate eos conuincere debere. (l) Affert deinceps prophetarum de se vaticinia. Quae autem ipsi non admittunt. (m) Tum demum: *Ex morte mea, inquit, resurrectione & laetissimo ecclesiae Christianae, quem vos impedire nequibitis, flore, me Messiam esse intelligetis.* (n) Quo audito, praesentium non pauci fideles in eum sunt facti, (o)

## § XXX.

- (i) v. 14. - 24.  
(k) v. 25.  
(l) v. 26.  
(m) v. 27.  
[n] v. 28. 29.  
(o) v. 30.

§, XXX. Cum responsioni ex interrogatione, ad quam data est, lux sit petenda; ad Iudaeorum interrogationem: *Tu vero quis es?* paululum adhuc haerere liceat. Hanc *contemptus*, ludibrii & sannarum plenam esse ex veteribus bene iam agnouit CYRILLVS. (p) Qui ita: Στίσαντες τόνιν εἰς τὸ σὺ μετ' ἐμφάσεως τὴν ὑποστιγμὴν καὶ τὴν καλουμένην ὀξεῖαν ἀναπέμφαντες, ὡς ἐν ἐρωτήσῃ μετὰ θαύματος ἐνδεχόμεθα τὸν λόγον. Φασὶ γὰρ τὸ σὺ, δῖονεῖ ᾧ μηδεὶς ὄλως, καὶ τοῦτο παρ' ἡμῖν γνωσκόμενος ἰ εὐτελής, καὶ ἐξ εὐτελῶν. Τί περὶ σεαυτοῦ λαμπρὸν ἔχεις εἰπεῖν. τί δὲ ἄξιον λόγου τῶν περὶ σοῦ. Τῆς γὰρ Ἰουδαϊκῆς ἀπονοίας οὐδὲν τῶν τοιούτων τολμημάτων ἀλλότριον. Ad vocis igitur *Tu* pronunciationem cum emphasi paululum subsistentes, & quem appellamus, accentu acuto eam pronunciantes, ut interrogationem admirabundam accipimus verba. Quippe dicunt: *Tu!* id est: *O!* qui nullus omnino es! *Quem* nos probe nouimus, hominum vilissimum esse, & infelicissimis parentibus prognatum! *Qui* de te ipse tam magnifice loquaris! *Quid* tuarum rerum vel commemoratione dignum est! *Tanta* enim temeritas Iudaicae vesaniae minime aliena est. Ex recentioribus interpretibus imprimis Cel. HERM. V. D. HARDT (q) monuit, esse haec verba non simpliciter interrogantium, sed indignantium potius, ac cum ira exprobrantium, simulque subsannantium & contemptentium, adeoque vehementer negantium. Eidem sententiae RVS, (r) RAPHELIVS, (s) & Cel. SCHOETTGENIVS (t)

(p) Commentar. in Ioann. Euangel. Lib. v. Opp. Tom. IV. p. 51 D  
Lutet. 1638.

(q) Commentatiuncula vernacula §. 22. lit. y. cit.

(r) Harm. Euangel. Tom. I. p. 440.

(s) Annot. ex Herod. p. 302. 303.

(t) Addit. ad Lamb. Bos Ellips. p. 379. 380.

NIVS, (t) subscripserunt. Et optime quidem. Neque enim interrogatu opus erat, quis Iesus esset. Professus sane fuerat, se esse Messiam & purioris doctrinae praeconem (§. 29.); quam veritatem impugnaturi; hanc ipsi litem mouerant aduersarii. Neque opus erat, ut ulteriore ab eo elicerent confessionem. Satis dictum erat, ut se diuinae vindictae, quam Christus minatus fuerat, obnoxios futuros, si Messiae viroque diuino contraniterentur, negare non possent. Quis igitur interrogationis huius sensus esse possit, nisi is sit, ut *sarcastice negent*, Iesum esse eum, quem se esse dixerat? Non difficile futurum erat, ex hebraeae linguae genio (§. 6.) hunc interrogationis huius usum demonstratum dare. Ut vero isto supersedere labore possimus, simillimus in ipsis noui foederis monumentis (u) obuius locus facit. (§. 5.) Sceuae enim cuiusdam filii, exorcistae Iudaei, cum daemonem ex obsesso, Iesu nomine abusi, expellere conarentur; hoc ab eo responsum ferunt: Iesum noui, & Paulum non ignoro; *vos autem qui estis?* contemtim: vestra autem non tanta est auctoritas, ut vobis parere me oporteat. Re ipsa contemptum mox demonstrat obsessus, tam male habitis hisce homuncionibus, ut nudi & vulnerati de fuga cogitare cogerentur. Eiusmodi igitur Christi aduersariorum interrogatio erat: *Tene Messiam! Tene verum Dei prophetam! Qui hominum infelicissimus es?* Da veniam, Christe, blasphema improborum verba pientissimo animi affectu exponentibus.

§. XXXI. Iam tandem inoffenso pede ad responsionis Christi

(u) Act. XIX, 14. 19.

Christi explicationem accedere liceret. Quot vero interpretum sunt capita, cum tot fere sint sensus; variarum interpretationum potissimas sub examen ante reuocabimus, quam eam, cui nos subscribimus, proferamus, & quibus legibus eam faciamus nostram, doceamus. Classis prima eorum est, qui *ad Iudaeorum interrogationem, Iesum neque apodictice respondisse, neque respondere voluisse* existimant. Ex veteribus hanc statuminauit sententiam CHRYSOSTOMVS. (w) Ita enim ille: *Ἐλεγον οὖν· Σὺ τίς εἶ. Ὡ τῆς ἀνοίας! μετὰ χρόνον τοσοῦτον καὶ σημεῖα καὶ διδασκαλίαν, ἐρωτῶσι· Σὺ τίς εἶ; τί οὖν ὁ Χριστός; τὴν ἀρχὴν ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν, ὃ δὲ λέγει, τοιοῦτόν ἐστι. Τοῦ ὅλως ἀκούειν τῶν λόγων τῶν παρ' ἐμοῦ ἀνάξιοί ἐστε, μήτι γε καὶ μαθεῖν, ὅστις ἐγὼ εἰμι. Ὑμεῖς γὰρ πάντα πειράζοντες φθέγγεσθε, καὶ οὐδενὶ τῶν παρ' ἐμοῦ προσέχοντες. Καὶ ταῦτα πάντα ἡδυνάμην ἐλέγξαί νῦν. Τοῦτο γὰρ ἐστὶ, πολλὰ ἔχω λέγειν καὶ κρίνειν κ. τ. λ.* Dicebant ergo ei: Tu quis es? O! dementiam, post tantum temporis, tot miracula & tantam doctrinam, quis sit, interrogant! Quid vero ad hanc interrogationem Christus? Egone vero vobis omnino dicam? Quorum verborum hic est sensus: Digni ne quidem estis, qui omnino audiatis ea, quae a me docentur; tantum abest, ut erudiri debeatis, quis ego sim. Vos enim omnia expiscandi gratia dicitis, nec quicquam eorum, quae a me dicuntur, perpenditis. Eoque nomine reprehendendi a me iam essetis. Hoc enim volunt verba; multa habeo, quae dicam & iudicem. cet. Non vident BEZA (x) & STOLBERGIUS (y), quomodo haec Chrysostomi expositio cum evangelistae verbis consentiat. GEORG. RA-

(w) loc. §. 22. lit. t. cit.

(x) loc. §. 23. lit. s. cit.

(y) Exercitat. p. 254.

RAPHELIVS, (z) qui dignissimus Lunaeburgensium in sacris antistes erudito orbi nimis mature decessit, putat, Chrysostomum verba haec, de quibus quaestio est, hoc modo cum sequentibus connectere: Τὴν ἀρχὴν, ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν, πολλὰ ἔχω περὶ ὑμῶν λαλεῖν καὶ κρίνειν. *Ommino, quoniam ego veritatem quoque ipse annuncio, multa haberem, quae dicerem & in vobis reprehenderem.* Quia nempe mihi non creditis. Cui sententiae & ipse subscribit RAPHELIVS (a), ita Christi verba intelligens: „ *Quia non solum (ex aliis) audiulistis de me, verum* „ *etiam ipse loquor vobis, neque tamen creditis, ommino* „ *multa habeo de vobis loqui & iudicare, id est, multis ex-* „ *probrare vobis possem vestram incredulitatem, &* „ *propterea aeternae damnationis reos agere. Verum* „ *haec nunc non dico.* „ Minime vero ita verba conlunxisse nobis videtur CHRYSOSTOMVS; apud quem nulla prorsus eiusmodi eorum connexionis vestigia reperimus. Sed ex paraphrasi ejus videre nobis potius videmur, ex mente Chrysostomi (1) esse ellipsin verbi νομίζετε; (2) particulam ὅτι suo loco non esse positam; (3) verba esse interrogatiua. Quae plene & naturali ordine ita sonent: νομίζετε, ὅτι καὶ τὴν ἀρχὴν λαλῶ ὑμῖν; *Putatisne, me id plene vobis esse eloquuturum?* Id si speretis, spes vestra vos egregie fallat. Quia enim mecum disputatis, non vt discatis, sed vt verba captetis; ne digni quidem estis, qui mei docentis sitis auditores, nedum quibus plene profitear, quis ego sim. Hac paraphrasi data, ad sequentia demum pergit Chrysostomus, eorumque subiungit' explicationem. In cuius

adeo

(z) Annotat. ex Herodot. p. 299 30'.

(a) loc. cit. p. 298. 302. Quae explicatio Erasmo quoque arriserat. Vid. Crit. Sacr ad h. l.



adeo verbis nihil quicquam est, quod nos vel in suspicionem adducere possit, eum verba, τὴν ἀρχὴν, cum sequentibus, πολλὰ ἔχω λέγειν καὶ κρίνειν, construere velle. Cetera satis bene se habent. Quid vero dubitaret Christus aduersariis suis dicere, quis esset? Nonne iis id iam dixerat? Num fortasse profiteri noluit, se esse verum Deum? Noluit fortasse. Sed ea de re non interrogabatur. Cur igitur sine omni data occasione praesentium animos redderet suspensos? Id Chrysostomum seduxisse videatur, quod Iudaeorum interrogationem subsannantis negationis vim habere (§. 30.) non animaduerneret. Sed ad RAPHELIVM reuertimur. Nihil duri, nihil quod linguae genio repugnet, eius interpretatio habet. At vero quae satis multa attulit exempla, quibus rectissime ostendit, τὴν ἀρχὴν non raro *omnino* significare, iis demonstratum nondum est, apud noui foederis quoque scriptores hunc significatum vsu receptum fuisse. (§. 22.) Porro in tam notabili Christi & ceterorum diuinorum virorum oppositione pronomen ἐγὼ reticeri non potuisset; quin αὐτὸς ἐγὼ addi debuisset: τὴν ἀρχὴν, ὅτι καὶ (αὐτὸς ἐγὼ) λαλῶ ὑμῖν, πολλὰ ἔχω κ. τ. λ. *Omnino, quoniam etiam ipse ego vobis loquar, multa cet.* (§. 12.) Nimis quoque frigide Iudaeis a Iesu sic responsum fuisset. Acerbis eorum fannis, quas *Raphelius* agnoscit, responsione ἐμφατικώτερον erat occurrendum. Id quod Christum fecisse, mox docebimus. A Chrysostomo prope abest APOLLINARIUS; (b) cuius ita se habet: paraphrasis: Ἐδει με, φησὶν, οὐχ ὑμῖν ὅλως προσλαλήσαι κατὰ τὴν ἀρχὴν, ἐκείνοις

(b) Vid. Graecorum patrum *Catena*, cit. Stolberg. p. 256.

ἐκείνοις δὲ μᾶλλον τοῦτο χαρίζεσθαι, τοῖς ἐτοίμως μέλλουσι  
καὶ ἀσμένως τοὺς ἐμοὺς ὑποδέξασθαι λόγους. Σημαίνει δὲ  
τῶν ἐθνῶν τὴν πληθύν. Δεικνύει δὲ διὰ τούτων, ὅτι καὶ τοῖς  
ἀναξίοις Ἰουδαίοις ἐλάλει διὰ τὴν πρὸς τοὺς πατέρας ἐπαγ-  
γελίαν. *Non me, inquit, omnino oportuerat vos primum  
affari; sed iis id dare, qui doctrinam meam lubenter & cum  
gaudio sunt recepturi. Quibus verbis gentium multitudinem  
significat. Simul vero declarat, se Iudaeos, quamvis indignos,  
alloquutum fuisse, propter promissiones proavis eorum factas.  
Liberiorem, quam decebat, paraphrasten agit vir bo-  
nus. De gentilibus profecto Christus vix cogitauerit.  
Viam. Raphaelio strauerat vir illustrissimus Eques & Bar.  
Anglus D. NORTONVS KNATCHBULL; (c) Qui haec  
Christi verba non immediatam responsionem ad lu-  
daeorum quaestionem, sed intermediam admonitionem  
esse, directa responsione v. 42. demum sequente, exi-  
stimat, eaque ita reddit: *First, that which I also say  
unto you, or because also I speak to you, I have many  
things to speak and judge of concerning you. Id est, Pri-  
mo, quod etiam dico vobis, vel quoniam loquor vobis, ha-  
beo multa de vobis dicere ac indicare. Quasi diceret: Pri-  
usquam dico vobis, quis ego sim, oportet me multa  
in vobis reprehendere. Putat igitur vir illustrissimus,  
Iesum in Iudaeis primo reprehendisse infidelitatem, i-  
gnorantiam, quod se occidere vellent, & opera diaboli face-  
rent; & tum demum affirmasse, se ex Deo patre esse. Eo-  
dem abit IOSEPHVS SCALIGER; (d) Licet mentem suam  
non aequè clare exponat. Neuter dixit, voces, τὴν  
ἀρχὴν**

(c) loc. §. 25. lit. l. cit.]

(d) Vid. Crit. Sacr. Tom. vi. Annotat. ad Eu. Ioann. p. 171, ed.  
Amstel. 1698.

ἀρχὴν ὅτι, *priusquam*, significare. Adeoque SAVBERTI (e) cenfuram, quod hae voces eo sensu sine omni vel profanorum vel sacrorum scriptorum exemplo accipiantur, non meruerunt. Nos vero id peruidere non possumus, quod Iesus in proxime sequentibus, v. 26-29. de Iudaeis loquatur. De se loquitur, inuincibilibus argumentis demonstrans, se esse Messiam. (§. 29.) Unde etiam fiebat, ut non pauci de ea veritate conuincerentur. v. 30. Verborum autem significatum penitus deserit AEGIDIUS HVNNIVS; (f) cuius haec est expositio: „ In graeco est τὴν ἀρχὴν, quod non incommode redditur, quam primum, ut sit sententia: Ego quam primum siue mox id loquar vobis, & patefaciam, quis sim, quando nimirum de terra fuero exaltatus: tum enim cognoscetis, quod ego sim. „ Τὴν ἀρχὴν non significare, quam primum, vel, mox, recte monuit STOLBERGIVS. (g) Ut cetera taceamus. Quare hanc interpretationem nullam esse pronunciamus; (§. 17.) Satis ingeniose ERASMVS, (h) Jesum, loco responsionis ad interrogationem dandae, in suo sermone perrexisse, & quibus de causis in peccatis suis perituri sint, exposuisse, existimat. Illum ipsum, post allatas tres alias interpretationes, ita pergentem audiamus: „ Expende, lector, num & hunc in modum accipi possit, ut haec pars, principio quod & loquor vobis, pertineat ad ea, quae praecesserunt: In peccatis vestris moriemini cet. Primum ob hoc quoque ipsum, quod haec „ lo-

(e) loc. §. 27. lit. u. cit. p. 32.

(f) Commentar. in Ioh. Tom. III. Opp. lat. ed. Witteb. 1608.

(g) Exercitat. p. 277.

(h) Vid. Crit. Sacr. Tom. vi. Annotat. ad h. l. p. 162.

„ loquor vobis. -- Porro quod additum est, Principio, *quasi*  
 „ *plura sit additurus, pertinet ad id, quod sequitur*: Multa  
 „ habeo de vobis dicere & iudicare.“ Perplacet haec  
 Erasmi explicatio, quia sensum verbis facillimum tribuit.  
 Contra Christi aduersarios tamen non satis ponderis ha-  
 bere videtur.

§. XXXII. Denique cel. SCHOETTGENIUS (i) exi-  
 stimat, Iesum ad Iudaeorum quidem respondisse interro-  
 gationem; non vero ita, vt doceret, quis esset; sed  
 vt minas cum asseueratione tantummodo repeteret. Il-  
 lum ipsum audiamus. „ Respondet, inquit, *Seruator*:  
 „ Certe, quod ego dico vobis, *subaudi*, continget. *Simi-*  
 „ *lis vero responsio est in nostra lingua, vt cum admiranti vel*  
 „ *irato dicimus*: Was ich dir sage, *h. e.* Res vere ita est,  
 „ vt dico.“ Non indigne feret vir, cuius philologicae  
 & hermeneuticae peritiae aetas nostra plurimum debet,  
 pro sua humanitate & veritatis studio, vt nostra expo-  
 namus dubiola. Primo quidem verba τὴν ἀρχὴν per-  
 certe, in N. T. exponi posse dubitamus. (§. 22.) Praeser-  
 tim si sola ponantur. Ellipsin enim verborum, τὸυτο  
 γενήσεται, id est, *continget id*, vel τοῦτο ἐστὶν ἡ ἀλήθεια, id  
 est, *ita est*, non sine oppositi formidine subaudiri vere-  
 mur. (§. 12.) Porro particula καὶ viro doctissimo abun-  
 dat. (§. 13.) Parum quoque linguae nostrae germanicae  
 genius eum iuuare videtur. (§. 10.) Quid denique pon-  
 deris haberet apud pertinaces Christi aduersarios, in  
 tanto sui contemptu, (§. 28.) & contra aculeatissimum  
 eorum sarcasum, (§. 30.) nuda, sine addita ratione,  
 asseueratio?

§. XXXIII.

(i) Addit. ad Lamb. Bos Ellips. graec. p. 380. Conf. Hor. Hebr. & Tal-  
 mud. ad h. l. p. 369.

§. XXXIII. Sic eorum, qui Christum ad Iudaeorum interrogationem proprie respondisse negant, sententiis & rationibus, cur iis nostrum adiacere non possimus calculum, expositis, ordo iam eos tangit, qui eum respondisse quidem existimarunt; talem autem verborum translationem dederunt, ut, quid sibi velint, aut quomodo translationes cum graeco textu conspirent, hario- lari vix possis. Et hi quidem propter obscuritatem sunt deserendi. (§. 17.) Primum in scenam producimus *Vulgatum*, cuius haec translatio est: *Principium, qui vel quia & loquor vobis.* Non miramur tanta eruditorum de his verbis diffidia; his vocabulum *principium* nominatiuum, illis accusatiuum esse, contendentibus. Qua de re, si id mereri videatur, consuli potest STOLBERGIUS. (k) Si quis sanus sensus verbis inesse possit; profecto is est, quem dat GERARDVS JOH. VOSSIUS, (l) ita scribens: „ *Estque simile hoc Afranii apud Sospitrum:*

„ Principium hoc oro, in animo ut sic statuas tuo,  
 „ Officiis cogi, ut abs te seorsum sentiam.

„ Nam principium, pro, ad principium: *ut, τὴν ἀρχὴν, pro κατὰ τὴν ἀρχὴν, Ioann. cap. VIII. 25. τὴν ἀρχὴν, ὅτι καὶ λαλῶ υμῖν. Vulgatus interpres vertit, principium quia & loquor vobis. Vbi principium esse casum accusandi, liquet: ponique pro, ad principium, atque idem notare, quod, a principio, siue ab initio.* Verum & sic verba obscura esse non desinunt. Et cum STOLBERGIO, (m) interpretis vulgati, *principium*, eodem prorsus modo, quo

(k) Exercit. ad h. l. Cap. 2. p. 265 - 271.

(l) Aristarch. lib. VII. cap. 66. pag. 589. 590.

(m) loc. cit. p. 270

quo *Vossius*, interpretante, merito interrogamus: *Si hoc primum respondit Christus; quid ergo dein, quid tertio dixit?* Tantos vero in Christi sermone hiatus quis quaeso animo concipiat? (§. 12.) Hunc secutus videtur beatus *LUTHERVS*; cuius quidem magni viri nunquam non pia mente recolimus memoriam, eiusque in interpretando sagacitatem quam maxime suspicimus. Hic tamen seduci se est passus. Ita enim reddit: *Erstlich der, der ich mit euch rede.* Id est: *Primum is sum, qui vobiscum loquor.* Quae verba ne cui obscuriora videantur, ipse ita interpretatur: (n) *Ich bin euer prediger: Wenn ihr das zuerst glaubet, so werdet ihr wohl erfahren, wer ich sey, und sonst nicht.* Quae latine ita sonant: *Doct̄or vester sum: Quem si me recipiatis, quis praeterea sim, suo tempore audietis. At vero quibus dicam, indigni estis, si repugnetis.* Secundum hanc quoque Lutheri interpretationem nimios hiatus verba graeca habent. (§. 12.) Particula καὶ autem omnino abundat. (§. 13.) Denique quis confiteri non cogatur, verba graeca, si in hunc sensum accipienda sint, non solum propter ellipses, verum etiam propter neutrum ὁ, τὶ, quod Lutherus per masculinum reddit, obscurissima futura? (§. 17.) Lutherum defensurus, verba eius paulo aliter, quam ipse facit, exponit *JO. GEORG. DORSCHEVVS* (o) hunc in modum: *Primo sum id, quod haecenus toties docui.* Praeter ea autem, quae ad vulgatam & Lutheri versiones iam monuimus, praesens cum nomine tempus praeteritum significante loco praeteriti positum esse supponit. (§. 14.) Plura pro Luthero legere qui cupit, *BALTHAS. RAITHIVM* (p) adeat. Nos vi-  
ri

(n) In annotationibus textui adiectis.

(o) Commentar. ad h. l. p. 1068.

(p) Vindic. Versionis Germ. B. Lutheri p. 423. 424. ed. Tubing. 1676.

ri optimi interpretisque felicissimi existimationi nihil id detrudere censemus, si eum hoc loco humani quid passum esse confiteamur.

§. XXXIV. Antequam sententias, quas admitti posse negamus, excutiendi finem faciamus, reliquum est, ut eorum quoque iniiciamus mentionem, qui Jesum hac sua responsione abstrusissima Christianae fidei mysteria exponere voluisse existimant, dicentem: *Deus sum, & Homo sum.* Cyrillo expositionem hanc ex *Augustino* adornatam praeter rem tribui monet *STOLBERGIVS* (q) *AVGVSTINVS* (r) ellipsi rem absolui posse credidit; si verba τὴν ἀρχὴν ita reddantur: *Principium me (esse) credite.* Sed plurium verborum duriorque haec ellipsis est, quam ut temeritatis absolui possit. (§. 12.) Quare *Ambrosio*, graecae linguae peritiori, non immerito vitio vertit, *ERASMVS*, (s) quod hanc *Augustini*, graecae linguae imperiti, adoptauerit explicationem. Ex recentioribus his iungimus auctorem anonymum in libro *Berlin-freywilliges Heb-Opffer*; (t) qui hunc Christi verborum sensum exponit: *Vos, me principium (ἡ ἀρχὴ) esse, credere debetis; quoniam non solum ab orbis incunabulis sum loquutus, verum etiamnum ut verbum substantiale loquor.* Qui schediasma leget, nodos, quos soluere vult, arctius neclere interpretem mysticum, & ex paraphraste Hierosolymitano Chaldaeo inane solatium petere, (§. 16.) intelliget. Nos sane serio eum egisse, persuadere nobis non possumus. Vere quidem *STEPHANVS LE MOY-*

(q) Exercitat. p. 255. 256.

(r) Vid. Tract. 38. in Ioann. Opp. Tom. III. Part. II. p. 406. ed. Antwerp. 1700

(s) Vid. loc. §. 31. lit. h. cit.

(t) XIX. Beytrag, num. 4. p. 846. 853.

NE. (u) „ *Ab analogia fidei, inquit, saltem non aberrabit, qui dixerit, Dominum nostrum respondere, se esse* α'ρχην ראשית *primogenitum DEI, alludens ad locum Pro- uerb. VIII.* „ Plus vero ad genuinam effati sacri interpretationem requiritur, quam id, ut ab analogia fidei non recedat. Aliam viam ingreditur CORNELIVS A LAPIDE (w) qui *aeternitatem & Deum patrem per principium intelligens: ita aciem instruit: Ego sum a principio* „ *id est, ab aeterno, ideoque ante Abrahamum, ut ait ipse v. 58.* „ *Deus verus de Deo vero, ideoque sum principium temporis & aevi ac rerum omnium. Qui tamen & loquor vobis, id est, qui etiam hoc ipsum vobis annuncio.* Lapideum Lapidis foetum non miramur. Placuit is tamen SEBASTIANO SCHMIDIO, (x) interpreti sagacissimo; qui verba Christi controuersa ita reddit: *Principium (i, e. Deum patrem) qui etiam, siue nonne etiam vobis dico; unde vobis est in procliui nosse, quis ego sim, filius scilicet μωυουεμς & principiatum illius.* Quam interpretationem JO. FECHTIVS (y) quoque & JOH. REINHARDVS RV S (z) amplectuntur; quorum hic putat, nihil coacti aut longe quaesiti in ea apparere. Attamen id difficultatis apparet, quod particula ὅτι suo loco non est posita. (§. 24.) Num porro haec particula permittit, ut interrogatiue verba exponas? Si vero enunciativae, quid de particula

[u] Vid. eius in varia sacra notas & obseruationes p. 452. ed. Lugd. Bat. 1685.

[w] Vid. Commentar. in 4. Euangelia, ad h. l. Tom. II. p. 377. ed. Antwerp. 1660.

[x] In Diatribe de Cherubim & Seraphim p. 189. 190. ed. 1696. in 12. Item in paraphrasi ad Euangel. Ioann. ad h. l. p. 95. ed. Argentorat. 1699.

[y] Philocalias Sacrae thesi ex theologia biblica 6. p. 7. 8. ed. Rostoch. 1708.

[z] Harmon. Euangel. Tom. II. p. 442. 443.



καὶ fiet? Quis denique Judaeus harioletur, Christum deum principium appellentem, verba haec aliter, quam de omnium rerum principio intelligi velle? En! tertium modum, quo, Christum de diuinitate sua loqui ostensurus, se expedire conatur JOH. HENRIC. MAIUS FIL. (a) Verba eius apponemus, „ Omnia pendent, inquit, ex cognitione eius, quod Christus sit v. 12. lux mundi, ab aeterno, eiusdem cum patre essentiae. Quem sermonem arrogantiae plenum existimantes Iudaei irridentes quaerunt, v. 25. σὺ τίς εἶ; tunc reuera es ille aeternus Deus, qui ante omnia iam existit? -- Sed respondit Christus (κατὰ) τὴν ἀρχὴν (ἐγὼ εἰμι) ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν. Iam ante rerum omnium principium fui id omne, quod haecenus vobis edisserui. Vocem ἀρχὴν non censeo aliter exponendam, quam per vniuersum novum foedus & imprimis a Iohanne sumitur.“ Haec ille. Ad quae monemus, ellipsin verbi substantiui cum utroque nominatiuo duriores esse, nec facile admittendam. (§. 12.) Praeterea id, a cuius cognitione omnia pendere vir doctissimus confitetur, cum ignarissimis ignorabant Iudaei, cum Christo disputantes. (§. 23.) Nec ex eo, quod se lucem mundi esse dixerat, colligere poterant, eum esse ab aeterno eiusdem cum patre essentiae. (§. 29.) Potuissent fortasse, si ea sciissent, quae nos ex primo Joannis euangelii capite didicimus. Multis autem post annis ea demum sunt scripta. Eaque in re omnes illos, qui Christum de diuinitate sua hic loqui opinantur, peccasse existimamus, quod ea Christi aduersarios iam tum sciuisse supponunt, quae illis post eius in coelum reditum demum innotuerunt. In cassum autem Jesum haec dicere voluisse, aut tam obscure loqui, ut à praesentibus intelligi nequiret, statuere non debemus. (§. 17.) Agnouit hoc

(a) loc. §. 23. lit. w. cit.

hoc DORSCHÉVS, (b) scribens : „ Veteres a vulgato in-  
 „terprete decepti putant, Christum hoc loco se vocare princi-  
 „pium. Salse eos ridet RAPHÉLIVS; (c) qui „non sane  
 „magis, inquit, hic Christus se principium esse ait, quam Liuius  
 „ex aede sacra aduocatum esse dicit concilium, quando scribit Lib.  
 „I.C.6. EXTEMPLO ADVOCATO CONCILIO. Vti enim EXTEMPLO La-  
 „tinis notissimum est aduerbium, ita & Graecis ΤΗΝ ΑΡΧΗΝ.“

§. XXXV. Cancellis iam iam egressuri, ne quid inta-  
 ctum praetermittamus, viri maxime reuerendi M. GEOR-  
 GII CLEMENTIS DRAVDH (d) tribus verbis attingemus expo-  
 sitionem; quae haec est: *Ommino credere vos decet, quodcun-  
 que vobis dixerim.* Scriptores graeci exteri verbis τὴν ἀρχὴν  
 hoc sensu vtuntur. Praeferendus autem videatur in ebraeo-  
 graecis obuius significatus. (§. 23. 5.) Ellipsis maiori cum  
 circumspectione supplenda videatur. (§. 12.) Denique Ju-  
 daeorum sannaë (§. 30.) responsione acutiori erant re-  
 pellendae. Si Christus dixisset: *Quodcunque vobis dixerim,  
 vobis est credendum;* responsuri profecto fuissent eodem,  
 quo antea sarcasmo: *Tunc ille vir sis, cui coeca fides sit adhiben-  
 da? Nihil eorum, quae dicis, credimus.* (§. 28.)

§. XXXVI. Sic longum dicendi campum, sententias,  
 quibus non subscribimus, enarrando, emensi, profiteamur  
 tandem, quisnam, ex nostra sententia, horum verborum  
 sit verus & genuinus sensus. Hunc esse asserimus: *Is sum,  
 quem me esse iam antea dixi.* Non sumus explicationis huius  
 primi inuentores. Tam perspicua enim Christi verba sunt,  
 vt fieri non potuerit, quin verum eorum sensum percipe-  
 rent multi. Ad aliquos tamen scopulos impegerunt pleri-  
 que. In tres abeunt partes; illis per PRIMVM, istis per O-  
 MNINO, his per IN PRINCIPIO verba ΤΗΝ ΑΡΧΗΝ exponen-  
 tibus.

(b) Commentar. ad h. l. p. 1068.

(c) Annotat. ex Herodot. p. 301. It. Dedicat. p. 12. 13.

(d) Vid. Hessisch Heb Opfer Theologischer und Philologischer An-  
 mer.

tibus. In primis HUGO GROTIUS est; (e) qui ita intelligit: *Primum hoc sum, quod & dico vobis.* Id est, hoc ipsum, quod me hoc ipso tempore esse dixi, id est, lux mundi. Quaerenti, cur qui *primum* praemiserit, nec *secundum* aut *tertium* addiderit: respondet Grotius, ideo factum esse, quod, qui multa de se praedicare posset, praeter id, quod dixerat, eo contentus esset. Nos vero Jesum talem responsionem, propter tantos hiatus & aposiopeses obscurissimam futuram, daturum non fuisse, persuasissimi sumus. Plerique, recentiorum praepriis interpretum, τὸ ἀρχὴν per, *omnino, sane, prorsus* reddunt, hoc modo: *Omnino* (sum id) *quod & loquor vobis*: i. e. *Omnino* (sum is) *quem me esse modo dixi*; nimirum lux mundi vel etiam: *Certissime sum* lux mundi & Messias, siue id credatis, siue minus; *Quod ipsum etiamnum vobis dico.* Ita post SALOM. GLASSIVM, (f) IOH. MICHAELM DILHERRVM, (g) BALTHAS. STOLBERGIVM, (h) IOH. MUSAEVVM, (i) JOH. HENR. HOTTINGERVVM, (k) RHENFERDIVM; (l) HERMANNVM V. D. HARDT, (m) nuperrime quoque JOH. CHRISTOPHORVS WOLFFIVS, (n) Quae sane interpretatio Christi mentem ita bene expressit, vt non habeamus, quod ex hoc capite vitio ipsi demus. Attamen is verborum τὴν ἀρχὴν significatus in N. T.

no-

merckungen, Giessen, 1740. Num. 1. M. Georgii Clementis Draudii V. D. M. & Metropolitanae Bidentcopiensis kurtze Anmerckung über Joh. VIII, 25. pag. 313 - 319.

(e) Vid. Crit. Sacr. ad h. l. col. 177.

(f) Philolog. Sacr. lib. III. Tract. V. Can. XVII.

(g) Disputat. academ. Tom. I. p. 284. 285. ed. Norimb. 1652.

(h) Exercitat. Graec. ling. IV. p. 250 - 280.

(i) Introduct. in Theol. Part. II. cap. V. Sect. I. Thes. V. pag. 316. ed. Jen. 1679.

(k) Vid. Wolfii Cur. Philolog. & Crit. in Euangel. pag. 890.

(l) Syntagm. Scriptorum de Stylo N. T. pag. 400. Citante Wolfio ibid.

(m) Loc. §. 22. lit. y. cit.

(n) Cur. Philolog. & Crit. in IV. Euangel. p. 892.

nobis est suspectus. (§. 22.) Verbi substantiui cum vtroque nominatio ellipsis supponitur. [§. 12.] Essent praeterea, quae aliquibus horum virorum, non omnibus, obiici poterant: quae vero silentio praeterimus. Agmen tandem claudant, quibus verba τὴν ἀρχὴν, *ab initio, a principio, iam antea*, significant Primus est SYRVS INTERPRES: יכנע ללמנה פרושה פאן *Iam tum, cum loqui vobiscum inciperem, (id dixi.) Optime, si ita verba eius interpretemur. Inepte enim ea transtulit de Dieu: Etiam si esset, quod incepissem loqui vobiscum. Nec multo melius alii: Etiam quod sum exorsus loqui vobiscum. Syri latus cingat NONNVS PANOPOLITANVS; [o] qui hanc dedit paraphrasin:*

Τίς σὺ πέλεις, καὶ Χριστὸς ἀνίαχεν. ὅτι περὶ ὑμῶν  
Ἐξ ἀρχῆς ἀρίζων.

Supple: ἀρίζω. *Quis tu es? Et Christus exclamavit: quod vobis ab initio dixi. (iterum dico.)* Verborum sensus a poëta rectius exprimi nequiuisset. Cuius auctoritate permotus THEODORVS BEZA (p) verba sic reddit: *id quod a principio dico vobis. Quasi scriptum esset: ὅτι καὶ ἠν ἀρχὴν λαλῶ ὑμῶν.* Quem sequuntur MATTHIAS FLAVIUS, (q) GEORGIUS CALIXTVS, (r) CHRIST. NOLDIVS, (s) IO. CLERICVS, (t) IO. MARTIANAEVS, (u) Iac. ELSNERVS, (w) IOH. SAVBERTVS, (x) IOH. HENR. MICHAELIS, (y) alii plures. His accensemus *versiones, gallicam Davidis Martini & Anglicam. Illa: Ce que je vous dis dès le com-*  
*mence-*

(o) In Metaphrasi Evzngel. Joannis versibus heroicis

[p] Loc. §. 23. lit. s. cit.

[q] Clav. Script. col. 980 - 982. ed. Hafn. 1695.

[r] Loc. §. 23. lit. u. cit.

[s] Loc. §. 23. lit. t. cit.

(t) Harmon. Euangelic. p. 250.

(u) In Essay de Traduction, p. 287. citante Wolfio, p. 89e.

[w] loc. §. 24. lit. x. cit. p. 319 - 321.

[x] Loc. §. 27. lit. u. cit.

(y) Disp. de usu LXX. Interpretum, §. 11.

*mencement.* Haec: *Even the same that I said unto you from the beginning.* Ita vero hi viri conspirant, vt certo etiam modo dissentiant, diuersos interpretationem hanc cum graecis Euangelistae verbis conciliandi modos quaerentes. Verumtamen eiusmodi elabendi rimas inuestigarunt, vt eorum vestigia tuto premere nequeamus. Prout vnicuique visum fuit, ellipses suppleant, non satis circumspecte. Vel vnum vel. & plures particulas abundare existimant. Verborum metatheses moluntur, quas nimium temerarias ducimus. Denique praeter omnem necessitatem praefens λαλῶ per praeteritum reddunt. Sunt etiam inter eos, qui rationes. cur verba ita reddant, non exponunt.

§. XXXVII. Iis igitur cum nos applaudamus, qui Jesum Judaeos iam ante a se dictorum, quod lux mundi sit, memores esse iubere, contendunt; reliquum est, vt ostendamus, quomodo difficultates, quas ita verba explicantibus modo obiecimur ipsi, effugere liceat. Triplicem monstrabimus viam, quarum quaelibet satis commoda sit; lectoris arbitrio permitturi, quam earum ingredi malit, an nullam. Primo enim neminem contradicentem nos habituros confidimus, si dicamus, principium dici posse id, quod in principio fuit dictum. Hinc reddere possis: Principium profecto etiamnum dico vobis. Id est: Id quod in sermonis mei exordio iam dixi, iterum vobis iterumque inculco. Non diffitemur autem, quod vnum contra hanc expositionem dici potest, quod coniunctio ὅτι suo loco non sit posita, id nos mouere, vt, eam deserentes, praeferamus aliam. Ita igitur orationem emphaticae ellipticae suppleri posse existimamus: (κατὰ) τὴν ἀρχὴν (εἰλάλησα) ὅ, τι καὶ (νῦν) λαλῶ ὑμῖν. *In principio (iam dixi,) quod nunc iterum vobis dico.* Ne tamen durior ellipsis esse videatur,

si verba ἴην ἀρχὴν integrum comma constituere dicantur, hunc in modum ellipsin rectius suppleri censemus: (κατὰ) ἴην ἀρχὴν ὁ, ἢ (ἐλάλησα), καὶ (νῦν) λαλῶ ὑμῖν. *Quod iam antea (dixi,) iterum vobis dico.* Veritatis praeconem & Messiam me esse dixi: idem iterum dico. Iam cogitate, quid proavis vestris, propter prophetarum & veritatis contemptum euenerit. Eadem vos, si refragari perseueretis, fata manent.

§. XXXVIII. Sic singulis verbis natiuus suus relinquitur significatus, (§. 16.) in quo partim & purioris graeci sermonis scriptores & ebraeo-graeci conspirant, (§. 7.) partim in horum vsu (§. 5.) & ebraei sermonis imitatione (§. 6.) acquiesci potest. De vocibus τὴν ἀρχὴν ex vtrisque exempla dedimus. (§. 23.) Verbum λαλεῖν dicendi significatum apud Ebraeo-Graecos habere, ostendimus. (§. 27.) Vox nulla abundat. (§. 13.) Formarum permutationes nullas statuimus. (§. 14.) λαλῶ praesens est, & praesentem habet significatum. (§. 27.) Nulla durior verborum traiectionis est. (§. 16.) Pronomen ὁ, ἢ ipse Johannes (§. 4.) nonnunquam postponit. (§. 24.) At nimis multas explicatio nostra habet ellipses. At vero perpaucas. Quippe ita suppleuimus omissa, ut vel puero verba non possint non intellectu facillima esse. Ceteroquin defectus praepositionis κατὰ ellipsis non est censenda, nisi forte elegantissima (§. 11.) adeoque orationis potius ornatus, (§. 10.) ad optimorum graecorum scriptorum imitationem. (§. 23.) Neque opus etiam erat aduerbium νῦν inserere; cum καὶ per se *etiamnum* vel *iterum* iam significaret. (§. 25.) Non igitur nisi vnicum ἐλάλησα Christus reticuit; quia proxime idem verbum sequebatur, eleganter. (§. 11.) Verum etiam emphatice, Ebraeorum more, quorum modulatio verborum paucitatem requirit. (§. 10.) Si  
Chri-

Christum pronunciantem audiuiſſes, verbum deesse vix animaduersurus fuiſſes. Signa distinctionis, vtpote recentiora, allegari contra nos non debent. (§. 18.) Explicationem dedimus, quae sensum verbis non infert, sed ex illis eruit; quae nec ipsa obscura est. ne tenebrarum vel ambiguitatis verba authentica accusat. (§. 17.) Responsio haec Christo digna erat; nec melior aduersariis eius dari poterat. (§. 28.) Apprime conuenit cum antecedentibus; nec quae sequuntur, vtpote quibus hic dicta demonstrantur, ei repugnant. (§. 29.) Jesum se sarcasmo intempestiue impetiisse, non poterant non intelligere Iudaei; qui ipsi confitebantur, eos, qui viris diuinis & Messiae fidem denegarent, non impune id facere posse. (§. 30. 29.) Denique consentientes habemus *interpretem Syrum*, qui ceteros interpretes omnes auctoritate vincit (§. 36. 8.) & ex veteribus Graecis *Nonnum Panopolitanum*. (§. 36. 9.) Neque tamen ita nobis placemus, vt rectiora edoceri recusemus.

§. XXXIX. Aspice igitur, homo proterue, *Matthia Knuzen*, num mage sit nostrum penetrabile telum. Tu sane ausu plane detestando, ex huius effati obscuritate, Jesu, quem Deum venerari nobiscum debebas, diuinam auctoritatem ludibrio exponere infelix es conatus. (z) Ex quo eodem nos, pro virium modulo, discussis omnibus, quae oculis tuis vitio laborantibus obuersabantur, nebulis, Christi, tui vindicis, summam in respondendo adstruximus sapientiam. Neque magis

(z) Vid. Joh. Misfaeus, in der Ableinung der ausgesprengten abscheulichen Verleumdung von der vermeinten gewiffener Secte, pag. 145: Citante Rufio, Harm. Euangel. Tom. II. p. 440.

gis criticorum moleste sedulorum artibus locus noster indiget, qui in mendo non est, hac arte, si mutetur, erudite adulterandus, (§. 19.) Damnamus GRETSERI (a) temerarium consilium, qui pro τὴν ἀρχὴν nominatum ἢ ἀρχή, & NICOLAVM ZEGERVVM [b], qui ὁ pro ὅτι rescribendum esse duxit. Frustra quoque, dummodo bonae fidei exemplaria suffragentur, commodius legi posse: τὴν ἀρχὴν ὁ καὶ λαλῶν ὑμῖν, ERASMVS sibi persuasit, [c] Omnia recte se habent. Adest veritatis, perspicuitatis, & emphaseos sororium vinculum. Adest lux & veritas; quae vnice nobis sacrorum monumentorum limpidissimos fontes vitamque aeternam recludere potest. Est CHRISTVS & manet, quem se esse dixerat, LVX MVNDI!

(a) vid. Stolberg. pag. 268. 269.

(b) vid. Critic. Sacr. ad h. l. col. 167.

(c) Ibid. col. 162.

